

intendat. Perfectum siquidem artificem dedecet, ut in machina a se extracta aliquid emendare cogatur, ne dissolvatur aut fiat inutilis. Quocirca oportet, ea referantur ad ordinem *moralem*, agentium scilicet liberorum, cui ordini subordinatur ipse ordo physicus. Generatim dici possunt esse manifestatio alienius Dei iudicii vel voluntatis circa rerum gubernationem: qua de causa solent etiam appellari *signa*. Unde egregie Augustinus. * Quis attrahit humorem per radicem vitis ad botrum facitque vinum, nisi Deus qui et homine plantante et irrigante incrementum dat? Sed cum ad nutum Domini aqua in vinum inusitata celeritate conversa est, etiam stultis fatentibus vis divina declarata est. Quis arbusta fronde et flore vestit solemmiter, nisi Deus? Verum eum foruit virga sacerdotis Aaron, colloca est quodammodo cum dubitante humanitate divinitas?., (3. *Trin.* c. 5.) Speciatim vero ac potissimum miracula a Deo fiunt, ut iis habeatur quasi divinitatis *sigillum* in confirmatione doctrinae supernaturalis, quae scilicet e rationis principis colligi minime potest, sed sola testificatione divina. * Quia quae sunt fidei, ait rursus B. Thomas, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet quod probentur per argumentum divinae virtutis: ut quum aliquis facit opera quae solus Deus facere potest, credantur ea quae dicuntur, esse a Deo; sicut quum aliquis defert litteras anulo Regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse quod in illis continetur. (*Summa th.* 3. p. q. 43. a. 1.) Et alibi. * Naturale est homini, ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat. Unde sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales; ita per aliquos supernaturales effectus qui miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur. (*Summa th.* 2. 2^o q. 178. a. 1.) Quod etiam sic eleganter notavit Bellarminus. * Eadem est vis sigilli et miraculi. Semper enim sigillum regium notius est et firmitus, quam litterae Regis. Sigillum enim omnes norunt discernere, litteras non omnes discernunt: et sigillum sine literis auctoritatem habet, li-

terae sine sigillo non habent. Sic etiam miraculum notius est et efficacius quam praedicatio; omnes enim qui vident caecum illuminari aut mortuum excitari, intelligunt illud esse opus supernaturale et divinum, et proinde moventur ad credendum id quod tali testimonio confirmatur. (*De Sacram. in genere*, lib. 1. c. 14.)

THESIS XXXIII

Opera quae naturalium legum certi nominis derogationem prae se ferant, ut principalis causa efficiere non potest nisi Deus. Indubia autem criteria suppetunt quibus portenta eiusmodi cum certitudine agnoscantur.

600. **Demonstratio I. partis.** — Agendum est de causa *miraculorum efficiente*. Quoniam in miraculi definitione [598] dictum est, ad eius rationem pertinere ut sit opus *divinitus* effectum, in primo adspectu videri cupiam poterit ipsa definitio praëdicata praesens quaestio. Res tamen ita non habet. Quum enim in opere miraculoso ipse excessus eiusdem e naturali ordine quem prae se fert, intuentium oculos percellit ac movet, ut tanquam proprium signum et quasi sigillum divinitatis agnoscat, merito quaeri potest, an legitima ratione fuscietur eiusmodi motus et quasi instinctus quo ad Deum et ad eum unice mentem sponte evehimus, quum facinora id genus contemplamur. Probandum est igitur, ut in ipsa thesis enuntiatione dicimus, sola divina auctoritate *naturae legibus derogari posse*, adeoque nonnisi Deum censi debere proprium auctorem operum quae talem derogationem prae se ferant. Omissis autem aliis rationibus, quae alicui litigiosae fortasse videri poterunt, rem hanc demonstro ex fine ac suavitate divinae Providentiae. Haec itaque observa. I. Ac primo quidem, nemini dubium esse debet, posse Deum humano generi manifestare quaedam, sua

scilicet testificatione interposita, ad quae naturalis rationis explicatio se non extendit. Si enim unnsquisque, ut ille rudis, mentis suae arcana alteri manifestare potest, quanto magis ipsius mentis Creator? Hinc ulterius manifeste consequitur, adesse debere quaedam signa efficacia, quibus humanum genus divinam hanc locutionem seu testificationem sine falsitatis periculo discernere valeat: secus quippe sine suo frustraretur.

II. Iam age, inter signa huiusmodi praecipuum locum obtinent opera seu portenta quae consideramus. Ratio huius asserti duplex est. Prima: quia, utpote sensibilia facta, sunt communi captui maxime accommodata, simulque aptissima ad mentem in Deum erigendam, ut ante notavimus cum Augustino et Aquinate [599]. Altera: quia sponte naturae eiusmodi facta ab universo humano genere accipiuntur quasi sigillum divinae virtutis, ut diximus, idque ad normam rectae rationis. Ut enim argumentatur Angelicus: * Ille solus potest legem immutare qui legem condidit; sicut patet in legibus humanis, quod solus Imperator potest legem immutare qui legem condidit. Sed solus Deus legem naturalis cursus instituit. Ergo ipse solus potest miracula facere, praeter cursum naturalem agendo. » (Qq. Disp. Pot. q. 6. a. 4.) Non dubium igitur, quin inter certa signa divinae locutionis opera miraculosa optimo iure accenseantur.

III. His in antecessum praestitutis, id ulterius inde legitime consequitur, spectare scilicet ad ipsum divinam Providentiae ordinem et efficaciam, ut eiusmodi sui testimonium et quasi sigillum minime falsificetur: secus enim humanum genus, ductum rectae rationis sequendo, in errorem ineluctabilem quoad finem ultimum induceretur, quod certe est plane alienum a suavitate divinae Providentiae. Falsificaretur autem, si ab alio quam ab ipso Deo ut principali causa opera id genus divina Providentia serneret. Ergo quantumcumque sit naturalis virtus causarum secundarum quarumcumque, spiritualium licet, non usque eo se protendit, ut in effectibus eiusmodi non divino sed suo nomine operentur. Hac ratione B. Thomas probat,

nulla patrandorum miraculorum potestatem a Deo concessam esse diabolo. *Quem operatio miraculosa, ait, sit quoddam divinitatis testimonium indicativum divinae virtutis et veritatis; si daemones, quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod diuinum bonitatem non deceat. (loc. cit. a. 5.)*

601. **Demonstratio II. partis.** — Duplex quaestio fieri potest, si de operibus id genus agatur, ut cum certitudine dignosci possint. Prior est *facti*; altera *iuris*. Nimirum potest queri imprimis, an reipsa contigerit eventus, puta quod mortuus quispiam rursus vivere incipiat, vel contra inanis quaedam illusio sit aut commentitia. Secundo vero, veritate facti supposita, inquiri potest in eius qualitatem, utrum scilicet eo vera contineatur derogatio certae alicui legi ordinis naturalis, vel contra de re tantum agatur, insolita quidem, sed ex occultata quadam et nondum perspecta naturae lege profecta. Age iam, non desunt criteria eaque indubia ad utramque propositam quaestionem cum certitudine decidendam. Et re quidem vera

I. Priori quaestioni resolvendae, facti scilicet, satis superque est tum naturalis evidentia tum aliorum testimonium sufficiente auctoritate communium. Ut enim de aliorum factorum sensilium existentia, sic etiam immediata sensuum experientia certiores effici possumus, utrum ex. gr. Tilius reipsa nunc vivat qui nudius tertius mortuus erat, an reipsa nunc videat qui a nativitate caecus erat, et ita porro. Qui vero facta eiusmodi sic exceperunt, possunt optime ea testificari in iis rerum adiunctis in quibus aliorum testimonium fidem mereatur omne prudens excludentem dubium. Nec refert, quod de facto agatur naturae facultatem excedente. Ut enim in Logica monuimus [315], quod factum sit eiusmodi, non propterea desinit esse sensibile et facile cognitum, quin ipsa insolentia facti in causa est, ut attentionem magis percellat, adeoque facilius removeantur errorum causae quae in oscitante rerum observatione testimoniorumque examine haberi solent.

II. Ad alteram vero quaestionem solvendam quam ad

ius seu qualitate facti pertinere diximus, minime sane requiritur ut *possit* cognoscatur, quousque natura universa legesque ei inditae progrediantur: satis enim superque est dignoscere, quae causae naturales de facto intervenerint idoneae ad influendum in facinora eiusmodi, earumdemque vel unicam legem existere, secundum quam hi effectus evenire debuissent, quaeque in casu particulari minime observata conspiciatur. Atqui manifestum est, id cum certitudine dignosci posse. Patet hoc in his quae *supra* vel *contra naturam* fiunt [598]. Quod vero spectat quae sunt dumtaxat *praeter naturam*, potest etiam nonnunquam certo constare, sic ea contingere, ut *sufficiens ratio facti sit voluntas facientis*, quemadmodum de operibus mirabilibus ait B. Augustinus (Ep. 3, ad *Volusianum*), ut sunt ea quae in instanti ac solo voluntatis imperio fiunt, sicut Christus Dominus consuevit miracula efficere. Materia quippe soli Creatori obedit ad nutum [158, obiec. I].

602. *Scholium I.* — *Qua ratione Sancti Deo cooperentur seu ministrent in effectione miraculorum.* Elsi soli Deo ut auctori tribuere oporteat miraculorum effectiorem, nihil tamen velat, ei per modum causae instrumentalis seu ministerialis cooperentur Sancti homines vel Angeli. Sic enim operantur *ob et per imperium divinae voluntatis*: quare operatio miraculosa non desinit esse sigillum seu sigillum divinae veritatis. Docet autem Angelicus (Q. Disp. *Pot.* q. 6, a. 4.), id fieri posse tripliciter. Uno modo, *precibus impetrando*. Alio modo, *materiali disponendo* ad hoc ut miraculum fiat, ex. gr. pulveres demortui colligendo qui divina virtute reducantur ad vitam. Tertio modo, *aliquid cogendo*. Hoc postremum sic eleganter exponit S. Doctor. " Constat, quod Deus solo imperio miracula operatur. Videmus autem, quod imperium divinum ad inferiores rationales spiritus, scilicet humanos, medianibus superioribus, scilicet Angelis, pervenit, ut in Legis veteris ratione apparet. Et per hunc modum per spiritus angelicos vel humanos imperium divinum ad corporales creaturas pervenire potest, ut per eos quodammodo naturae praesententur divinum praeceptum; et sic agant quodam-

modo spiritus humani vel angelici, ut instrumentum divinae virtutis ad miraculi perfectionem: non quasi aliqua virtute habituali in eis manente vel gratuita vel naturali in actu miraculi possint . . . , sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis in Sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum quae *intentiones* vocantur, quae non permanent, nisi per praesentiam agentis principalis, sicut lumen in aëre et motus in instrumento Nec est mirum, si per hunc modum spirituali creatura Deus instrumentaliter utitur ad faciendos mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam materialiter creatura utatur instrumentaliter ad spirituum iustificationem, ut in sacramentis patet. (*loc. cit.*)

603. *Scholium II.* — *Praestigiae spirituum malorum.* Spiritus perversi quos *daemones* appellamus, plura efficere possunt et reipsa efficiunt ad perniciem humani generis, quae fallacem quandam similitudinem praese ferunt cum operibus miraculosis (1). Spectat autem ad

(1) Haec referre oportet quae generaliter de operibus magicis traduntur a Doctoribus, quaeque hae nostra aetate sub nomine effectuum *magneticorum* vel *mesmericorum* incautos bene multos fefellerunt. De hac re videatur cl. D. Palmieri (*Instit. Philos. Pneumatologia*, th. 12, 13, 14). Quae vero et quanta sit virtus daemonum in effectibus eiusmodi, sic paucis declaratum habes apud Aquinatem. " Materia corporalis non obedit Angelis bonis seu malis ad nutum, ut daemones sua virtute possint transmutare materiam de forma in formam: sed possunt adhibere quaedam semina quae in elementis mundi inveniuntur, ad eiusmodi effectus complendos, ut Augustinus dicit 3. de Trinitate, c. 8. Et ideo dicendum est, quod omnes transmutationes corporaliu rerum quae possunt fieri per aliquas virtutes naturales ad quas pertinent praedicta semina, possunt fieri per operationem daemonum, huiusmodi seminibus adhibitis Illae vero transmutationes corporaliu rerum quae non possunt virtute naturae fieri, nullo modo operatione daemonum secundum rei veritatem fieri possunt; sicut quod corpus humanum mutetur in corpus bestiale, aut quod corpus hominis mortuum reviviscat. Et si aliquando aliquid tale operatione daemonum fieri videatur, hoc non est secundum rei veritatem, sed secundum appaerentiam tantum. Quod quidem potest dupliciter contingere. Uno modo ab interiori, secundum quod dae-

suavitatem divinae Providentiae, ut in rebus eiusmodi homo non tentetur supra id quod potest, adeoque suppedientur indicia quibus fraudes id genus detegi quant. Quare Angelicus. * Signa facta per bonos possunt distingui ab illis quae per malos fiunt, tripliciter ad minus. Primo, *ex efficacia virtutis operantis*. Quia signa facta per bonos virtute divina fiunt in illis etiam, ad quae virtus activa naturae se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos et huiusmodi; quae daemones secundum veritatem facere non possunt, sed in praestigiis tantum quae durare non possunt. Secundo, *ex utilitate signorum*. Quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus et in curatione infirmitatum et huiusmodi; signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis vel vanis, sicut quod volant in aëre, vel reddunt membra hominum stupida, et huiusmodi. Tertia differentia est *quantum ad finem*. Quia signa bonorum ordinantur ad aedificationem fidei et bonorum morum, sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei et honestatis. Et *quantum ad modum* differunt. Quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis pie et reverenter; sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris et huiusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab illis quae virtute daemonum fiunt. (2. Dist. 7. q. 3. a. 1. ad 2.)

non potest mutare phantasiam hominis, et etiam sensus corporeos ut aliquid videatur aliter quam sit, sicut supra dictum est q. 101. a. 3. et 4: et hoc etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporalium. Alio modo ob exteriori. Cum enim ipse possit formare corpus ex aëre cuiuscumque formae et figurae, ut illud assumens in eo visibiliter appareat, potest eadem ratione circumponere cuiuscumque rei quaecumque formam corpoream, ut in eius specie videatur. (Summa th. 1. p. 114. a. 4. ad 2.)

non potest mutare phantasiam hominis, et etiam sensus corporeos ut aliquid videatur aliter quam sit, sicut supra dictum est q. 101. a. 3. et 4: et hoc etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporalium. Alio modo ob exteriori. Cum enim ipse possit formare corpus ex aëre cuiuscumque formae et figurae, ut illud assumens in eo visibiliter appareat, potest eadem ratione circumponere cuiuscumque rei quaecumque formam corpoream, ut in eius specie videatur. (Summa th. 1. p. 114. a. 4. ad 2.)

Solvuntur difficultates.

604. *Obiectio I.* — Cuiusque rei natura est immutabilis. Ergo immutabiles quoque dicendae sunt eius leges, adeoque violari non possunt.

Respondeo. *Dist. antec.* Si consideretur in ordine ad praedicata essentialia quibus constituitur, *trans.*; si consideretur in ordine ad motum operationemque naturali ipsius propensionem respondentem, *neg. Dist. pariter conseq.* quoad 1. partem: quod 2. vero partem *nego suppositum*, in miraculo scilicet contineri *violationem* cuiusque legis naturalis.

Quae sit immutabilitas propria essentiae creaturarum, declaratum habes [Pr. Ph. 482, III]: unde constat etiam, nonnisi diminuto quodam sensu eam intelligi debere. Quoniam vero hoc ad rem praesentem non facit, ideo missum fecimus. Miraculum enim si contingat, nullum praedicatum essentialia rei admittit vel additur, sed ea dumtaxat extrahitur a suo connaturali modo agendi vel patendi et hoc sensu naturae cursus suspendi dicitur. Etsi vero in ea re derogatio quaeapiam contingat de legibus quibus praedictus cursus a sapientia Conditoris adstringitur, haec tamen exceptio nulla ratione nomen *violationis* meretur: legem siquidem non violat nisi subditus.

Instabi. Non videtur natura posse mutari, nisi secundum motum vel operationem ad quam est in potentia. Atqui ad miracula, utpote supernaturalia, non est potentia in natura. Ergo non potest mutationem eiusmodi subire.

Respondeo. *Dist. mai.* Non videtur . . . in potentia naturali vel obedientiali, *con.*; naturali tantum, *neg. Contralist. minore, neg. conseq.* * Res aliqua, ait Aquinas, est in potentia ad diversa secundum habitudinem ad diversos agentes. Unde nihil prohibet, quin natura creata sit in potentia ad aliqua fienda per divinam potentiam quae inferior potentia facere non potest: et ista vocatur *potentia*

obedientiae, secundum quod quaelibet creatura Creatori obedit. (Qq. Disp. Pot. q. 6. a. 1. ad 18.) Et iterum. * Praeter huiusmodi rationes (ideales sc. in divina mente existentes), non sunt miracula: similiter etiam *neque praeter virtutes passivas creaturae inditas ut ex ea fieri possit quidquid Deus mandaverit; sed praeter virtutes activas naturales et potentias passivas quae ordinantur ad huiusmodi virtutes activas.* (Summa th. 1. p. q. 115. a. 2. ad 4.)

Obiectio II. — Divina voluntas, utpote rectissima, nihil efficit nisi ordinatum. Miracula vero dicuntur fieri praeter ordinem. Ergo non possunt a Deo fieri.

Respondeo. *Conc. mai. Dist. min.* Miracula dicuntur fieri simpliciter praeter ordinem, *neg.*; secundum quid dumtaxat, quae tamen simpliciter loquendo sunt omnino iuxta ordinem, *conc.* Sub data dist. *neg. conseq.*

Miraculum minime dicitur simpliciter fieri praeter ordinem, sed praeter naturae cursum. Talis porro ordo, qui elucet scilicet in consueto naturae cursu, est ordo quidam particularis, qui propterea subiacet ordini universali et altiori, ad cuius normam et finem exigi debet. Exceptio autem quae fit in ordine inferiori ad exigentiam et normam ordinis altioris, eo ipso ordinata est, simpliciter loquendo. Egregie S. Thomas. * Dicendum, quod a qualibet causa derivatur aliquis ordo in suos effectus, cum quaelibet causa habeat rationem principii: et ideo secundum multiplicationem causarum multiplicantur et ordines, *quorum unus continetur sub altero, sicut et causa continetur sub causa.* Unde causa superior non continetur sub ordine causae inferioris, sed e converso: cuius exemplum apparet in rebus humanis. Nam ex patrefamilias dependet ordo domus, qui continetur sub ordine civitatis, cum et hic contineatur sub ordine regis a quo totum regnum ordinatur. Si ergo ordo rerum consideretur, prout dependet a prima causa, sic contra ordinem rerum Deus facere non potest: si enim sic faceret, faceret contra suam praescientiam aut voluntatem aut bonitatem. Si vero consideretur rerum ordo, prout dependet a qualibet secundarum causarum, sic Deus potest facere praeter ordinem rerum...

Unde et Augustinus dicit lib. 26. cont. Faustum, c. 3., quod *Deus contra solitum cursum naturae facit; sed contra summam legem nullo modo facit, quia contra seipsum non facit.* (Summa th. 1. p. q. 105. a. 6.) Hinc deducitur etiam, prout observat idem S. Doctor, cur licet Deus quandoque dispenset in physico rerum ordine, nunquam tamen simile quid efficiat in ordine iustitiae, morali scilicet. * Dicendum, ait, quod ordo iustitiae est secundum relationem ad causam primam, quae est regula omnis iustitiae, et ideo praeter hunc ordinem Deus nihil facere potest. (loc. cit. ad 2.)

Instabis. Etiam in derogatione legum physicarum videtur Deus agere contra seipsum. Totus enim naturae cursus a divina sapientia progreditur, sicut artificia ab arte artificis. Quae ergo sunt praeter naturae cursum, eo ipso sunt praeter divinam autem seu sapientiam.

Respondeo. *Nego assumptum.* Ad probationem *conc. antec., neg. conseq.* * Dicendum, ait rursus Aquinas, quod ars divina non totam seipsam explicat in creaturarum productione; et ideo secundum artem suam potest alio modo operari quam habeat cursus naturae. Unde non sequitur, quod si potest facere contra cursum naturae, possit facere contra suam artem: nam et homo artifex potest aliud artificiatum facere per suam artem contrario modo quam prius fecit. (Qq. Disp. Pot. q. 6. a. 1. ad 12.)

Obiectio III. — Miracula saltem non videntur esse proprium signum et quasi sigillum divinae virtutis. Sunt enim plura quae solo motu locali fieri possunt, quaeque inter miracula proprii nominis ab omnibus recensentur, quemadmodum accidit tum in oppugnatione urbis Iericho, Ios. X. 12, 13., tum in morte Christi Domini, Matth. XXVII. 45. Atqui ea quae solo motu locali fieri possunt, non excedunt naturalem virtutem Angelorum. Ergo hi etiam propria virtute possunt efficere ipsissima omnino opera quae miracula vocamus, adeoque non sunt signum proprium et indubium divinae virtutis.

Respondeo. *Nego assumptum.* Ad probationem *conc. maiore, dist. min.* Quae solo motu locali fieri queunt se-

cundum generales leges a Deo constitutas, non excedunt naturalem virtutem Angelorum, *conc.*; praeter vel contra eiusmodi leges, *subdist.*; non excedunt naturalem virtutem Angelorum absolute consideratam, *trans.*; si consideretur ut divinae voluntati subiecta eiusque legibus alligata, *neg.* Sub data dist. *neg. conseq.*

Ad huius rei intelligentiam, animadvertere oportet, ut suo loco monuimus [583, I], nullius causae secundae virtutem esse constitutam in actu primo proximo ad agendum, nisi Deus paratus sit ad concurrendum cum ea. Atqui Deus generalem universi ordinem constituens, eo ipso intra huius ordinis leges constringit creaturas omnes: id enim postulat eius sapientia et bonitas [594, III, 600]. Hinc nullius creaturae virtuti adest divina voluntas praeparata, ut cum ea concurrat praeter hunc ordinem operando, nisi derogatione aliqua Deus ipse quandoque uti velit ad altiore suae gloriae manifestationem: quo in casu ipse solus talis derogationis auctor habendus esset. Hinc optime Suarez: " Aliud esse, ait, de potestate Angeli, ut sic dicam, absoluta; aliud vero de eadem potestate, ut divinae voluntati subiecta eiusque obligationibus alligata. Priori modo fatendum est, posse Angelos multa ex his quae in argumento sumuntur, efficere et alia plura. Possent enim Angeli, si nudam facultatem naturalem spectes, animalia occidere, arbores eradicare, montes transferre, et similia quae per violentum localem motum fieri possunt. Posteriori autem modo non possunt. Et ideo cum ordo universi certis Dei legibus definitus sit, simpliciter ordinem universi invertere non valent. " (*De Angelis*, lib. 4. c. 27. n. 6.) Similiter loquuntur theologi, quum sermo est de secretorum cordium naturali cognitione.

Instabis. Saepe difficile est discernere opera vere miraculosa ab iis quae etiam secundum ordinem naturae a Deo definitum maligni spiritus efficere possunt. Ergo tale criterium, miraculorum scilicet, non satis idoneum videtur proprio fini obtinendo.

Respondeo. *Conc. antec., neg. consequens.* Nam eiusmodi difficultas habetur etiam in usu aliorum criteriorum

quibus instruimur ex ipsa natura ad veritatis assequitionem. Hinc Suarez, solvens difficultatem quae adversus miracula Christi sumi potest ex eiusmodi praestigis, quae virtute daemone fieri solent et ab Antichristo etiam fient, haec sapienter advertit. " Quando sunt falsa miracula, semper relinquuntur aliquis modus quo moraliter possint diiudicari, si homines quod in se est, faciant ad cognoscendam veritatem. Primo, bene considerando ipsamet opera, signaque, et circumstantias eorum. Secundo, considerando personam, vitam, et mores eius qui sic loquitur et operatur. Tertio, considerando doctrinam ipsam, an aliqua in parte rationi adversetur, vel aliis revelationibus divinis sufficienter propositis per Ecclesiam. Denique, orando Deum et consulendo Scripturas, et praedictiones in ea factas, et signa data ne in errorem inducamur. Itaque non pertinet ad providentiam Dei, non permittere falsa signa quae ad profectum et probationem electorum prosunt: sed pertinet ad providentiam Dei, dare auxilium ac modum quo possint diiudicari et cognosci, quia non est divinae bonitatis et sapientiae, ut permittat hominibus tentari ultra id quod potest. " (*De Mysteriis vitae Christi*, D. 31. sect. 2.)

— 432 —

APPENDIX

Monitum Auctoris. — Tertium hoc volumen de re Philosophica vix absolveram, eiusque Indicem prelo commiseram, quum repente mihi advenit maximi ponderis Documentum, a quo, (humiliter dicam), novum animum alacritatis plenum accepi, videns quae a Suprema Auctoritate proscriptae sunt propositiones, eas, pro meo modulo, in antecessum iam fortiter me refutasse. Consule, si placet, nn. 222, 245, 249, 287, 435, 501, 503, 522, etc. Operae ergo pretium existimavi ad calcem cursus mearum Institutionum tantum Documentum heic subicere, praemissa de eius vulgatione epistola Eminentissimi Card. Monaco, et addito ipso Decreto cum XL. propositionibus.

DECRETUM. — A. 11. s. v. 11. 1888.

E. me ac R. me Domine mi Obs. me,

Haec adiunctum litteris transmittitur ad Amplitudinem Tuam decretum generale quo a Suprema Congregatione E. morum Patrum una mecum Inquisitorum Generalium, adprobante et confirmante SS. no Domino nostro, Leone XIII, plures propositiones ex operibus quae sub nomine Antonii Rosmini Serbati edita sunt, damnantur et proscribuntur. Quapropter excitatur pastoralis cura et vigilantia Eminentiae Tuae, ut a damnatis huiusmodi doctrinis ores fidei tuae conceditas quam diligentissime custodias; ac si qui forte sint in ista dioecesi qui illis adhuc faceant, eos ad S. Sedis iudicium docili animo recipiendum inducere studeas. Praecipue vero enteris, ut mentes adolescentium, eorum praesertim qui in spem Ecclesiae in Seminario aluntur, germana catholicae Ecclesiae doctrina e puris fontibus Sanctorum Patrum, Ecclesiae Doctorum, probatorum auctorum, ac praecipue Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis, hausta imbuantur.

Et Emtiae Tuae manus humillime deosculor.

Datum Romae, die 7 Martii 1888.

Humillimus et addictissimus Sercus verus
R. Card. MONACO.

DECRETUM. — *Feria iv die 14 Decembris 1887.*

Post obitum Antonii Rosmini Serbati quaedam eius nomine in lucem prodierunt scripta, quibus plura doctrinae capita, quorum germina in prioribus huius Auctoris libris continebantur, clarius evolvuntur atque explicantur. Quae res accuratiora studia non hominum tantum in theologicis ac philosophicis disciplinis praestantium, sed etiam Sacrorum in Ecclesia Antistitum, excitarunt. Hi non paucas propositiones, quae catholicae veritati haud consonae videbantur, ex posthumis praesertim illius libris exscripserunt, et Supremo S. Sedis iudicio subiecerunt.

Porro SS. mus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, cui maxime curae est, ut depositum catholicae doctrinae ab erroribus immune purumque servetur, delatas propositiones Sacro consilio E. morum Patrum Cardinalium in universa christiana republica Inquisitorum Generalium examinandas commisit.

Quare, uti mos est Supremae Congregationis, instituto diligentissimo examine, factaque earum propositionum collatione cum reliquis Auctoris doctrinis, prout potissimum ex posthumis libris elucescent, propositiones quae sequuntur, in proprio Auctoris sensu reprobandas, damnandas ac proscribendas esse indicavit, prout hoc generali decreto reprobat, damnat, proscribit; quin exinde cuiquam deducere liceat, ceteras eiusdem Auctoris doctrinas quae per hoc decretum non damnantur, ullo modo adprobari.

Facta autem de his omnibus SS. mo D. N. Leoni XIII accurata relatione, Sanctitas Sua decretum E. morum Patrum adprobavit, confirmavit, atque ab omnibus servari mandavit.

Sequuntur propositiones.

I. In ordine rerum creaturarum immediate manifestatur humano intellectui aliquid divini in se ipso, huiusmodi nempe quod ad divinam naturam pertineat.

II. Cum divinum dicimus in natura, vocabulum istud *divinum* non usurpamus ad significandum effectum non divinum causae divinae; neque mens nobis est loqui de *divino* quodam quod tale sit per participationem.

III. In natura igitur universi, idest in intelligentiis quae in ipso sunt, aliquid est cui convenit denominatio divini non sensu figurato, sed proprio. — Est actualitas non distincta a reliquo actualitatis divinae.

IV. Esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est divinum illud quod homini in natura manifestatur.

V. Esse quod homo intuetur, necesse est ut sit aliquid entis necessarii et aeterni, causae creatis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium: atque hoc est Deus.

VI. In esse quod praescindit a creaturis et a Deo, quod est esse indeterminatum, atque in Deo, esse non indeterminatum sed absolute, eadem est essentia.

VII. Esse indeterminatum intuitionis, esse initiale, est aliquid Verbi, quod mens Patris distinguit non realiter sed secundum rationem a Verbo.

VIII. Entia finita quibus componitur mundus, resultant ex duobus elementis, idest ex termino reali finito et ex esse initiali quod eidem termino tribuit formam entis.

IX. Esse, obiectum intuitionis, est actus initialis omnium entium. — Esse initiale est initium tam cognoscibilem quam subsistentium: est pariter initium Dei, prout a nobis concipitur, et creaturaram.

X. Esse virtuale et sine limitibus est prima ac simplicissima omnium entitatum, adeo ut quaelibet alia entitas sit composita, et inter ipsius componentia semper et necessario sit esse virtuale. — Est pars essentialis omnium omnino entitatum, ut ut cogitatione dividantur.

XI. Quidditas (id quod res est) entis finiti non constituitur eo quod habet positivi, sed suis limitibus. Quidditas entis infiniti constituitur entitate, et est positiva: quidditas vero entis finiti constituitur limitibus entitatis, et est negativa.

XII. Finita realitas non est, sed Deus facit eam esse addendo infinitae realitati limitationem. — Esse initiale fit essentia omnis entis realis. — Esse quod actual naturas finitas, ipsis coniunctum, est recessum a Deo.

XIII. Discrimen inter esse absolutum et esse relativum non illud est quod intercedit substantiam inter et substantiam, sed aliud multo

maius; unum enim est absolute ens, alterum est absolute non-ens. At hoc alterum est relative ens. Cum autem ponitur ens relativum, non multiplicatur absolute ens; hinc absolutum et relativum, absolute non sunt unica substantia, sed unicum esse; atque hoc sensu nulla est diversitas esse, nec habetur unitas esse.

XIV. Divina abstractione producitur esse initiale, primum finitimum entium elementum; divina vero imaginatione producitur reale finitum, seu realitates omnes quibus mundus constat.

XV. Tertia operatio esse absoluti mundum creatis est divina synthesis, idest unum duorum elementorum; quae sunt *esse initiale*, commune omnium finitum entium initium, atque *reale finitum*, seu potius diversa realia finita, terminii diversi eiusdem esse initialis. Qua unione creantur entia finita.

XVI. Esse initiale per divinam synthesis ab intelligentia relatum, non ut intelligibile sed mere ut essentia, ad terminos finitos reales, efficit ut existant entia finita subjective et realiter.

XVII. Id unum efficit Deus creando, quod totum actum esse creaturarum integro ponit: hic igitur actus proprie, non est factus, sed positus.

XVIII. Amor, quo Deus se diligit etiam in creaturis, et qui est ratio quae se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quae in ente perfectissimo semper inducit effectum; huiusmodi enim necessitas tantummodo in pluribus entibus imperfectis interam relinquat libertatem bilateralem.

XIX. Verbum est materia illa invisiva ex qua, ut dicitur Sap. XI. 18, creatae fuerunt res omnes universi.

XX. Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum, procedere.

XXI. Cum sensitivo principio intuitable fit esse, hoc solo tactu, hae sui unione, principium illud antea adum sentiens, nunc simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens, subsistens atque immortalis.

XXII. Non est cogitatu impossibile divina potentia fieri posse ut a corpore animato dividatur anima intellectiva, et ipsam adhuc maneat animale; maneret, nempe in ipso, tanquam basis puri animalis, principium animale, quod antea in eo erat veluti appendix.

XXIII. In statu naturali, anima defuncti existit perinde ac non existeret: cum non possit ullam super seipsum reflexionem exercere, aut ullam habere sui conscientiam, ipsius conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni sempiterni.

XXIV. Forma substantialis corporis est potius effectus animae, atque interior terminus operationis ipsius: propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima. — Unio animae et corporis pro-

prie consistit in immanitate perceptione, qua subiectum intrinseca ideam affirmat sensibile, postquam in hac eius essentiam intuitum fuerit.

XXV. Revelato mysterio SS. mae Trinitatis, potest ipsis existentia demonstrari argumentis mire speculativis; negativis quidem et indirectis, huiusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut etiorae: si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica *parae rationis* non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatenis annihilaretur.

XXVI. Tres supremae formae *esse*, nempe subjectivitas, obiectivitas, sanctitas, seu realitas, idealitas, moralitas, si transferantur ad esse absolutum, non possunt aliter concipi nisi ut personae subsistentes et viventes. — Verbum quatenus obiectum amatum, et non quatenus Verbum idest obiectum in se subsistens per se cognitum, est persona Spiritus Sancti.

XXVII. In humanitate Christi humana voluntas fuit ita rapta a Sp. Sancto ad adhaerendum Esse obiectivo, idest Verbo, ut illa ipsi integre tradiderit regimen hominis, et Verbum illud personaliter assumpsit, ita sibi unens naturam humanam. Hinc voluntas humana desit esse personalis in homine, et, cum sit persona in aliis hominibus, in Christo remansit natura.

XXVIII. In christiana doctrina, Verbum, character et facies Dei, imppinitur in animo eorum qui eum fide suscipiunt baptismum Christi. — Verbum, idest character in anima impressum, in doctrina christiana est Esse reale (infinitum) per se manifestum, quod deinde novimus esse secundam personam SS. mae Trinitatis.

XXIX. A catholica doctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hinc coniecturam: In eucharistico Sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentiens, ipsaque sua vita vivificat: eo ferme modo quo panis et vinum vere transubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentiens.

XXX. Peracta transubstantiatione, intelligi potest corpori Christi glorioso partem aliquam adiungi in ipso incorporatum, indivisum, pariterque gloriosam.

XXXI. In Sacramento eucharistiae, *et verborum* corpus et sanguis Christi est tantum ea mensura quae respondet quantitati (a quel tanto) substantiae panis et vini quae transubstantiantur: reliquum corporis Christi ibi est *per concomitantiam*.

XXXII. Quoniam qui non manducat carnem Filii hominis et bibit eius sanguinem, non habet vitam in se; et nihilominus qui moriuntur cum baptismate aquae, sanguinis aut desiderii certo consequuntur vitam aeternam, dicendum est his qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hinc coelestem cibum in

futura vita, ipso mortis instanti. — Hinc etiam Sanctis V. T. potuit Christus descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei.

XXXIII. Cum daemones fructum possederint, putarunt se ingressuros in hominem si de illo ederet; converso enim cibo in corpus hominis animatum, ipsi poterant libere ingredi animalitatem, id est in vitam subiectivam huius entis, atque ita de eo disponere sicut proposuerant.

XXXIV. Ad praeservandam B. V. Mariam a labe originis, satis erat ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone; e quo incorrupto semine, de generatione in generationem transfuso, suo tempore oriretur Virgo Maria.

XXXV. Quo magis attenditur ordo iustificationis in homine, eo aptior apparet modus dicendi scripturalis quod Deus peccata quaedam tegit aut non imputat. — Iuxta Psalmistam discrimen est inter iniquitates quae remittuntur et peccata quae teguntur: illae, ut videtur, sunt culpae actuales et liberae, haec vero sunt peccata non libera eorum qui pertinent ad populum Dei, quibus propterea nullum afferunt nocendum.

XXXVI. Ordo supernaturalis constituitur manifestatione esse in plenitudine suae formae realis; cuius communicationis seu manifestationis effectus est sensus (sentimento) deiformis, qui inchoatus in hac vita constituit lumen fidei et gratiae, completus in altera vita constituit lumen gloriae.

XXXVII. Primum lumen reddens animam intelligentem est esse ideale; alterum primum lumen est etiam esse, non tamen mere ideale sed subsistens ac vivens: illud obessens suam personalitatem ostendit solum suam obiectivitatem: at qui videt alterum (quod est Verbum), etiamsi per speculum et in aenigmate, videt Deum.

XXXVIII. Deus est obiectum visionis beatificae, in quantum est auctor operum ad extra.

XXXIX. Vestigia sapientiae ac bonitatis quae in creaturis reluctant, sunt comprehensoribus necessaria; ipsa enim in aeterno exemplari collecta sunt ea ipsius pars quae ab illis videri possit (chae è loro accessibile), ipsaque argumentum praebent laudibus, quae in aeternum Deo Beati concinunt.

XL. Cum Deus non possit, nec per lumen gloriae, totaliter se communicare entibus finitis, non potuit essentiam suam comprehensoribus revelare et communicare nisi eo modo qui finitis intelligentibus sit accommodatus: scilicet Deus se illis manifestat quatenus cum ipsis relationem habet ut eorum creator, provisor, redemptor, sanctificator.

IOSEPH MANNICI S. ROM. et UNIV. INQUISIT. NOTARIUS.

INDEX

METAPHYSICA SPECIALIS

PARS TERTIA

Theologia naturalis.

INTRODUCTIO Pag. 7

DISPUTATIO PRIMA — De existentia Dei.

Secro I. Variæ de probanda Dei existentia opiniones.	10
Quae seligenda	10
II. Expendantur argumenta speculativi ordinis quibus Deum esse legitime demonstratur	20
III. Argumenta moralia ad eandem veritatem ostendendam idonea	36
IV. Diluuntur obiecta in assertam doctrinam fieri solita	45
V. Quaestiones ceterae huc pertinentes breviter perstringuntur	61